



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio XXIV. Quid sentiendum de reviviscentiâ peccati quoad suum esse morale?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

ad individuum esse ante omnem actum, & determinationem voluntatis, nec propterea laedere libertatem creatam; siquidem talis determinatio non est absoluta, sed ex suppositione, quod ipsa voluntas velit operari, illamque relinquit indifferentem ad hanc, vel illam speciem actus, in quo consistit ratio libertatis, non autem in eo, quod hunc, aut illum actum in individuo operetur; actus enim in individuo non auget, nec minuit meritum, vel demeritum. Patet, quia si voluntas esset determinata ad malum, & homo cognosceret omnes actus in individuo, quos circa illud posset eligere, non diceretur gravius peccare in eo, quod hunc potius, quam illum eligeret, cum in individuatione actus non detur specialis libertas; ergo &c.

542. Confirmatur exemplis: Primò, quia Beati in patria, licet possint liberè amare Deum per hunc numero actum, vel per alium, quem possunt eligere, cum omnes videant in Verbo, non merentur, quia sunt determinati ad amorem. Secundò, quia qui ex voto tenetur dare aureum pauperi, licet in manu illius sit hunc potius, quam alium aureum pauperi erogare, non tamen exercet actum moraliter laudabilem, & meritorium in tali electione unius præ alio; ergo &c.

543. Hic secundus modus explicandi, quo pacto Deus determinat actiones creaturarum, præsertim rationalium, est satis probabilis, illumque tenet *P. Arriaga in Physic. d. 10. sect. 2. subsect. 3. num. 98.* & ex hoc eodem modo etiam patet, quoniam pacto qualibet actio in individuo sit meritoria, aut demeritoria, & digna præmio, aut pœnâ; siquidem cum ad quamlibet liberè se determinet homo operans, ex suppositione, quod vult se determinare ad actum quoad speciem, id est, ad amorem, vel odium, qualibet actio etiam in individuo est digna præmio, vel pœnâ, sicque meritoria, vel peccaminosa, sive demeritoria. Adhuc tamen contra traditam doctrinam.

544. Obijciens. Licet Deus non primò determinet quoad individuum in genere; sic enim se determinat creatura eo ipso, quod se determinat quoad speciem actus exigentis in genere aliquam actionem in individuo; saltem primò determinat Deus quoad hanc individuationem in particulari; siquidem ad hanc neque existivè se determinat creatura, cum illam in particulari non cognoscat, sed Deus, qui liberè hunc potius, quam alium concursum parat & eligit; ergo cum primò ad illum determinet, dicitur author, & causa peccati.

545. Respondeo negando antecedens quoad secundam partem; neque enim Deus dici potest primò determinans etiam quoad hunc numero actum peccati; siquidem primò ad aliquid determinare, est ita ad illud determinare, ut nulla præsupponatur exigentia; cum igitur in creatura præsupponatur exigentia, ad aliquam saltem individuationem in genere, per ipsum actum in specie, ad quem ipsa se primò determinat; imò ex suppositione quod ad illum se determinat, etiam se determinat ad talem individuationem, quam Deus ex suppositione suæ determinationis quoad speciem decreverat dare; ut patet ex supra dictis, non potest Deus dici primò illam determinans, neque quoad individuationem in particulari.

546. Obijciens 2. Deus non potest reproducere actum illum quoad suum esse physicum absque miraculo; sed repugnat Divina Bonitati uti miraculis ad producendum actum peccati; ergo &c. Respondeo negando minorem; nam sicut nulla

est repugnantia, ut Deus determinet creaturam ad hanc, vel illam individuationem peccati, ex suppositione, quod illa liberè velit se determinare ad speciem talis actus: ita nulla est repugnantia, ut ex eadem suppositione illam determinet ad eandem individuationem corruptam, illam reproducendo.

Dico 2. Hujusmodi actus sic reproductus, licet physicè unus, moraliter tamen, & in ratione peccati, esset duplex. Ita *P. Amicus tomo 8. d. 7. n. 33. P. Arriaga tomo 8. d. 15. sect. 1. num. 2.* Probat, quia culpa, & offensa in tali actu desumitur ex libera hominis applicatione ad actum rationi distortum; sed hæc applicatio bis fieret, licet eodem numero actu; ergo bis peccaret; siquidem bis ad peccandum se applicaret.

Dices: Ita se habet anima constituta in duplici tempore, atque in duplici loco; sed in duplici loco unum tantum committeret peccatum per unum actum ubiq; replicatum; ergo etiam in duplici tempore per eundem actum reproductum unum tantum peccatum committeret. Resp. negando majorem; diversa ratio est, quia in duplici tempore duplex requiritur applicatio ad operandum, & quantum est ex se, per duplicem actum operatur anima, licet per accidens detur unus tantum actus ratione ejusdem concursus reproducti; sicque esset unus actus physicus, & duplex moraliter cum duplici malitiâ ratione duplicis applicationis liberæ: at verò anima constituta in diverso loco unam tantum haberet applicationem liberam ad peccandum, à qua una tantum oriretur denominatio moralis, ac proinde unum tantum peccatum.

SECTIO XXIV.

Quid sentiendum de reviviscentiâ peccati quoad suum esse morale?

SENSUS QUESTIONIS est: Utrum peccatum semel commissum possit per sublequens peccatum iterum redire, non jam quoad suum esse physicum, de quo jam diximus, sed moraliter, sive quoad moralem imputabilitatem, ita ut homo, commisso novo peccato, incipiat iterum præteriti peccati maculâ notari? Negativam sententiam tenent *Sor. in 4. dist. 16. q. 1. art. 1. Richard. dist. 22. art. 1. q. 1. Paludan. q. 1. Major. q. 2. P. Henric. lib. 4. cap. 32. n. 4. in gloss. P. Soar. tomo 4. in 3. part. d. 13. sect. 1. num. 1. P. Vasq. tom. 3. in 3. p. q. 88. art. 4. dub. 1. num. 75. P. Tanner. tomo 4. d. 6. q. 5. dub. 3. n. 71. P. Lugo d. 10. de Penit. sect. 1. n. 10. P. Compton. tomo 2. d. 89. sect. 2. n. 1. P. Rhodex. tomo 2. d. 1. de Penit. quasi 3. sect. 4. §. 2. P. Turrian. P. Hurt. d. 2. diff. 18. P. Egid. d. 2. de Penit. dub. 18. num. 149. qui oppositam dicit esse æquè probabilem. Nagnez 3. p. q. 88. art. 1. Bonac. d. 5. de Penit. q. 6. sect. 3. punct. 1. n. 1. & alii apud cit.*

Affirmativam sententiam tuerentur *Scor. in 4. dist. 22. q. 1. Gabr. ibid. Medin. tract. 1. de Confess. quasi 9. P. Valent. tomo 4. d. 7. q. 5. punct. 1. §. Quod si Deus. P. Egid. cit. n. 150. P. Soar. Lusit. tract. 1. de Penit. d. 4. n. 456. P. Amicus tomo 8. d. 7. n. 37. P. Granad. P. Præposit. 3. part. q. 88. art. 1. dub. 2. n. 17. P. Arriaga tomo 8. d. 15. sect. 4. n. 31. & alii. Quia tamen hæc difficultas gravis est, & à qua ferè pendet exacta resolutio præcedentis de actuali reditu peccatorum; nam si neque de potentia Dei absoluta redire possint, benè inferitur, de facto, & secundum potentiam ordinariam non redire: Quid in eâ utriusque sententiæ*

sententiæ Doctores sentiant per sequentes conclusiones declarabimus. Igitur.

551. Dico 1. Si peccatum tolleretur per æqualem satisfactionem, omninò repugnaret redire, semel ablatum. In hoc, ut puto, omnes conveniunt. Probatur, quia æqualis satisfactio auferret totum fundamentum odii, & juris in Deo existentis, sive unam partem essentialem peccati habitualis, nempe carentiam æqualis satisfactionis; sed neque de potentia Dei absoluta fieri potest, ut non fuerit exhibita, seu posita ea æqualis satisfactio; ergo neque quod redeat ejus carentia, prout deberet, ut rediret illud habituale jam remissum.

552. Confirmatur, quia si peccatum illud rediret, aut illud suscitaret persona offensa, nempe Deus; aut persona offendens, nempe homo: Non primum, cum non sit in ejus potestate peccatum habituale suscitare; nam sicut non fuit deletum ex ipsius voluntate, sed quia ipsi est redditum tantum, quantum per offensam fuerat illi ablatum; ita jam non potest amplius justè esse offensus, etiamsi velit: Non secundum, nam licet homo possit secundò Deum offendere per novum peccatum, non tamen potest efficere, ut redeat antiquum, seu ut redeat jus, quod Deus habebat ex antiquo peccato; siquidem illud fundabatur in carentia æqualis satisfactionis, quam supponimus exhibitam; homo autem non potest efficere, ut hæc carentia sit, quia ad præteritum non datur potentia; ergo &c.

553. Dico 2. Si Deus condonet peccatum absolutè, & sine ulla cõditione in futurum, (ut de facto peccata condonat,) non poterit iterum redire, neque de potentia Dei absoluta. Ita P. Tanner. cit. P. Amicus cit. n. 36. P. Arriaga cit. n. 30. & alii plures ex supra cit. Probatur, quia Deus absolutè condonans, non potest eam voluntatem revocare, cum voluntas Dei absoluta sit immutabilis: imò licet per impossibile id posset, adhuc nihil efficeret; nam licet fuisset in ipsius potestate cedere, aut non cedere jure suo ex peccato contra peccatorem acquisito; postquam tamen semel omninò cessit, jam non potest jus illud resumere, licet voluntatem revocet; sicut Dominus manumittens servum, licet ipsum postea pœniteat, & voluntatem revocet, non idèò postea illum secundò faciet servum suum; ergo &c.

554. Dico 3. Si Deus dicat, Condono tibi peccatum, si cras oraveris, non potest peccatum redire. Ita P. Arriaga cit. Probatur, quia in hoc casu nondum est de præsentis ulla remissio, sed promissio illius in crastinum, si ponatur conditio; sicque remissio erit suspensa pro tempore futuro, quoad usque homo se determinaverit ad orandum; atqui ut peccatum posset redire, debebat prius remitti; ergo &c. Dixi pro tempore futuro, quia de præsentis adhuc homo ille manet peccator: sicut si dicerem Petro: Do tibi ensam, si cras ad me veneris: hodie de præsentis non est dominus ensis, sive venturus sit, sive non; erit tamen postea, si veniat; siquidem translatio domini differtur in sequentem diem, quando conditio est ponenda, aut omittenda.

555. Hinc fit primò, si postea peccatum duret, quia conditio requisita non fuit apposita, non id provenire ex eo, quod reviviscat, sed quia nunquam fuerat mortuum, sed semper vivum, quatenus nunquam fuit posita conditio necessaria ad ejus mortem, seu abolitionem: si autem postea apponatur conditio, tunc primò extinguetur peccatum, & jam amplius non poterit redire, cum jam tunc maneat absolutè condonatum; peccatum verò absolutè condonatum non potest redire, ut dixi-

Tom. 2.

mus n. 553.

Secundò fit ex hac conditionali remissione deceptos esse nonnullos ex Authoribus supra citatis sententiam nobis contrariam tenentibus; siquidem quando audiunt dici sub his terminis, peccata posse divinitus redire, si à Deo sub conditione remittantur, putant sermonem esse de hac conditione futurâ, & necessariâ ante remissionem; idèòque, ut contra nos probent, inculcant eam rationem, quam nos posuimus n. 554. nempe quod tunc peccata non sint de præsentis remissa, sed primò remittenda, quando conditio ponetur, quod nos eis libentissimè concedimus; neque enim conclusionem asserentem posse peccata semel remissa iterum redire divinitus per subsequens peccatum quoad moralem imputabilitatem, ita ut incipiat homo præteritâ maculâ notari, eo modo, sed alio diverso defendimus, ut jam dicimus: Igitur.

Dico 4. Non implicat absolutè, sive de potentia Dei absoluta, quod eadem peccata semel remissa iterum redeant per subsequens peccatum quoad moralem imputabilitatem; si Deus, ut potest, ita peccatum condonet: Ego tibi statim de præsentis condono absolutè peccatum independenter pro præsentis condonatione ab ulla conditione; ita tamen condono, ut si postea iterum peccaveris, possum esse tibi inimicus, tam pro peccato tunc committendo, quam pro hoc, quod de præsentis tibi condono. Ita in hoc sensu veram judico sententiam Doctorum, quos supra citavi num. 550. ante cujus probationem.

Advertes, hunc secundum modum condonandi non confundi cum præcedenti, de quo n. 554. ut illud confundunt aliqui, idèòque non admittunt possibilem eum reditum peccatorum, ut nos etiam non admisimus loco citato; siquidem inter utrumque modum cõdonandi est clarissima differentia; nam in condonatione tertiæ conclusionis, ut diximus, non fit de præsentis remissio, sed expectatur positio conditionis futuræ, ut tunc fiat, & remittatur peccatum: at verò in hoc modo condonandi, quem assignamus, condonatio, & depositio iræ, sive inimicitie Dei, est de præsentis, quin dependeat à conditione futura, à quâ tantum dependet resumptio iræ, sive inimicitie; siquidem Deus dicit: Ego jam nunc tibi condono peccatum de præsentis, nullâ expectatâ conditione; sed resumam iram, si aliud peccatum commiseris. Hoc positio.

Probatur primò ex Scot. quia peccatum, (ut tenet Scot.) consistit in destinatione ad pœnam; sed Deus potest destinare peccatorem ad eandem pœnam per subsequens peccatum, ad quam ipsum destinaverat ob peccatum præcedens; ergo hoc potest per illud redire. Ita cum Scot. probant etiam Gabr. Almain. apud P. Soar. cit. sect. 1. n. 10. Non tamen placent; videntur enim solum probare de reatu pœnæ æternæ; non autem de reatu culpæ: aut si de hoc, non distinguunt culpam ab illo reatu pœnæ; cum tamen verè distinguantur.

Probatur secundò ex Aureol. in 4. dist. 22. q. un. art. 1. quia peccata non habent esse reale in se, sed tantum objectivum in intellectu: Est enim, inquit, peccatum macula, & indecentia moralis, habens tantum esse objectivum in apprehensione; atqui quod non habet esse reale in se, sed tantum objectivum in intellectu, potest concipi idem numero cum eo, quod est corruptum; ergo &c. Non placet, falsum enim est, peccatum in se nullum habere esse, saltem morale independenter ab intellectu; alioqui homo non esset peccator, nisi quando peccator conciperetur.

Probatur tertio ex Mayron. Bassol. & Ocham. quia

Esseez

quia

quia Deus potest eundem numero actum peccati reproducere; ergo & idem peccatum divinitus redire. Non placent primò, quia hic non est sermo de reditu physico peccati, de quo jam supra, sed de morali, per solam imputabilitatē actūs prateriti, absque physica illius reproductione. Secundò, quia talis actus à solo Deo reproductus (ut hi Authores ponunt,) non posset nobis imputari ad peccatum, ut intendimus probare; siquidem peccatum est actio libera creaturæ; qualis non esset actus à solo Deo reproductus. Igitur melius.

362. Probatur quartò ex *P. Amico cit. num. 41.* & apud illum *D. Thom. 3. part. quest. 89. art. 5. ad 1. Aureol. in 4. dist. 22. art. 1.* quia sicut meritum destruitur per peccatum, ita peccatum deletur per gratiam; siquidem non minus justus definit esse, ac denominari justus, superveniente peccato; quam peccator definit esse, ac denominari peccator, superveniente gratiâ; sed possunt priora merita abolita per peccatum, superveniente gratiâ, reviviscere in ratione meriti; ergo etiam poterunt priora demerita abolita per gratiam, superveniente peccato, reviviscere in ratione demeriti.

363. Dicent primò cum *P. Vasq. tomo 3. in 3. p. q. 89. art. 5. dub. 1. num. 4.* efficacius esse meritum ad destruendum peccatum, quàm peccatum ad destruendum meritum; siquidem meritum destruit peccatum satisfactione condignâ; quod autem condignè satisfactum est, non potest amplius justè exigi: at verò peccatum non destruit meritum destructione condignâ, quia non tollit, quin meritum semel in gratiâ factum, semper jus habeat ad præmium, licet tale jus impediatur per peccatum, quo sublato, statim redit ad præmium.

364. Sed contra, quia aut possumus loqui de efficacia physica: aut morali: Si primum, cum meritum, sive gratia justificans, & peccatum sint contraria se ad invicem expellentia, non minus quàm calor, & frigus, non minus unum expellit aliud, quàm è contra: Si secundum, efficacius est peccatum ad destruendum meritum, quàm è contra; siquidem indignius est peccatum, utpotè contra Deum, quàm sit dignum meritum, utpotè ab homine; ergo efficacius est peccatum ad destruendum moraliter meritum, quatenùs majorem ponit indignitatem in subiecto, vi cuius destruitur meritum, quàm ponit dignitatem meritum, vi cuius destruitur peccatum.

365. Dicent secundò, de facto peccatum non tollere, quin meritum semel in gratia factum, iterùm redeat per subsequente pœnitentiam, & semper habeat jus ad præmium; hoc autem non fieri de facto è contra; neque enim de facto meritum justificans ita tollit peccatum, ut hoc iterùm redeat, & semper sit dignum pœnâ æternâ; ergo efficacius est meritum justificans ad destruendum peccatum, quàm è contra. Sed contra, quia quod de facto peccatum non tollat, quominùs meritum semel factum in gratia, iterùm redeat per subsequente pœnitentiam, & semper habeat jus ad præmium, non provenit ex natura rei, sed ex divina ordinatione, quatenùs Deus ex sua infinitâ Bonitate, & Misericordia voluit de facto, quod nostra bona opera in gratiâ facta solùm mortificarentur per subsequens peccatum; nostra autem opera mala omnino extinguerentur per subsequente pœnitentiam, licet potuerit aliter disponere, quod intendimus.

SECTIO XXV.

Assignantur alie rationes, quibus magis firmatur nostra sententia.



PROBATUR quintò ex eodem *P. Amico cit. num. 44. P. Egid. d. 2. de Pœnit. dub. 18. num. 150. & P. Arriaga tomo 8. d. 15. à num. 43.* quia Deus potuit nobis peccata remittere eâ conditione, ut de novo peccantibus, redirent priora remissa quoad moralem imputabilitatem: tum quia hac conditione potuit merita mortificare, ut eadem reviviscerent de novo in gratiam redeuntibus, ut diximus: tum etiam, quia remissio peccatorum non solùm dependet ex actu peccatoris, sed etiam ex voluntate Dei remittentis, qui, cum nullus actus peccatoris possit esse condigna satisfactio pro peccato mortali, poterit illud remittere sub conditione, si de cetero non peccaverit; sed si ita remittatur, verè re ipsâ deletur per gratiam, & rursus amisâ gratiâ idem peccatum redibit quoad moralem imputabilitatem; ergo &c.

Probatur minor quoad primam partem, quia gratia, posita retractatione peccatoris, destruit peccatum tanquam forma impossibilis, & quoad esse physicum, & quoad esse morale; siquidem & tollit maculam ex parte peccatoris, & extinguit odium ex parte Dei; ergo si Deus remittat peccata, licet sub eâ conditione, & gratiam tribuat, verè re ipsâ talia peccata manebunt deleta, & remissa. Dicent, talem remissionem, cum sit sub conditione pendente de futuro, verè, & re ipsâ non fieri de presenti. Sed contra, quia conditio illa de futuro non suspendit effectum gratiæ de presenti; siquidem cum remissio peccatorum sit effectus formalis inseparabilis à gratia, implicat hanc poni de presenti, & ab eâ conditione suspendi de presenti ejus effectum, sive remissionem peccatorum.

Probatur eadem minor quoad secundam partem, quia per talem conditionem non acceptatur pœnitentia peccatoris pro peccatis prateritis, si aliud novum commiserit, ergo de novo commissio, redirent praterita remissa. Unde privatio gratiæ de novo inducitur non solùm macularet animam per respectum ad peccatum præsens, sed etiam per respectum ad peccata praterita: & odium Dei, non solùm ferretur in peccatorem propter peccatum præsens, sed etiam propter praterita, per subtractionem ejusdem gratiæ in pœnam utriusque peccati.

Probatur sextò, quia peccatum commissum potest intelligi interrumpi postea, ita ut nullo modo maculet, donec aliqua conditio nunc de presenti resultet, ut patet in peccato Adami, quod licet fuerit commissum ante millenos annos, toto tamen tempore intermedio usque ad meam conceptionem, me non maculabat; posita tamen meâ conceptione, veluti quadam conditione necessariâ, & sine quâ non, incepit me maculare; ergo ita poterit Deus per pœnitentiam alicujus peccati illud remittere, ut suspendat effectum illius dependentem à conditione, quod de novo non ponatur aliud peccatum; eo tamen posito, incipiat anima denominari maculata, non solùm à peccato presenti, sed etiam à peccato praterito sub illa conditione remisso.

Confirmatur primò, (& ut argumentum magis urgeat, ponamus animam divinitus à Deo produci, ut